

Dissertatio inauguralis medica exhibens pestis orientalis prophylaxin medicam quam consensu et auctoritate excellentissimi ac illustrissimi domini praesidis et directoris perillustris ac spectabilis domini decani nec non clarissimorum et celeberrimorum D.D. professorum pro doctoris medicinae laurea rite obtinenda in antiquissima ac celeberrima Universitate Vindobonensi publicae eruditorum disquisitioni submittit Ignatius Gruber Vindobonensis Chemiae in C.R. Universitate assistens. In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die 31. Mensis Julii 1828.

Contributors

Gruber, Ignatius.

Publication/Creation

Vindobonae : Typis viduae Antonii Strauss, MDCCCXXVIII. [1828]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j8kruatg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

n

57

IGNATIUS GRUBER

de

PESTIS ORIENTALIS

PROPHYLAXI MEDICA

Lx e L4

62534/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON




With the compliments of the Librarian

THE WELLCOME INSTITUTE OF THE HISTORY
OF MEDICINE

THE WELLCOME BUILDING, EUSTON ROAD, LONDON, N W.1 2BP

Telephone: 01-387 4688

GRUBER, I.



Feb 28

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
EXHIBENS
PESTIS ORIENTALIS
PROPHYLAXIN MEDICAM
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT
IGNATIUS GRUBER
VINDOBONENSIS
CHEMIAE IN C. R. UNIVERSITATE ASSISTENS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die 31. Mensis Julii 1828.

VINDOBONAE.
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

MDCCCXXVIII.

Res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis ni-
torem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus
vero naturam, et naturae suae omnia.


Plinius Hist. nat. Lib. I. ad Vespasianum.

Gl

Ms. f. 31

QUIBUSCUMQUE
ULLUM DEBET BENEFICIUM
D. D. D.

GRATISSIMUS AUCTOR.



INTROITUS.

§. 1.

Loimologiae partem eam lustrare animum induxi, quam Graeci *Προφυλαξίν* vocant, quaeque tempore pestis sanitatem privatam per remedia antiloimica conservandi modum, eorumque usum tradere promittit. Ast a limine disciplinam hanc salutanti, mox truculentissimi morbi observatores solertissimi occurunt, verius quam optabilius confidentes: *Nullum in rerum natura inveniri tutum certumque contra pestis infectionem remedium prophylacticum*; testantesque, non raro eos, qui nulla aut inepta superstitione adhibuerunt, immunes mansisse, aut ex morbo emersisse; contra ad artis praecepta sedulo curatos a lue correptos et extinctos fuisse; adeoque et remediis, alias praestantissimis, contra morbum hunc irrito pugnatum fuisse*).

§. 2.

Nec clarissimus *Adam. Chenotus* publice monere cunctatur: Securitatem grassante peste a sola periculi evitazione et fuga sperandam esse; *prophylactica ipsa, non temere commendata*, paria non esse, homini, in instanti pestis discrimine versanti, certa securitatis spe laetando, *quippe quae ad summum sub certis rerum adjunctis viro cauto et provido emolumento esse possint*, ad quae vero imperitorum multitudo animum non attendat. Hinc idem auctor Magistratushortatur, ne aequo animo medicos spurios ferant, qui furente hac lue vulgus remediis praeservativis obcaecare student. Haec enim etiamsi insontia, eatenus tamen nocere posse monet, quatenus plebs, ob fiduciam in iisdem collocatam, mox inconsulte se periculo offerat, praescriptisque Magistratum minus obtemperet, in primis autem pestis fomitem occultare et retinere moliatur**).

§. 3.

Deficiente ergo remedio prophylactico tuto, nihil relinquitur, nisi ea auxilia circumspicere, *quae non temere com-*

*) *Kundmann*, pag. 1211.

**) *Hinterlassene Schriften*, pag. 126.

mendantur, quaeque sub certis rerum adjunctis hominibus causatis et providis, urbis praefectis medicis, sacerdotibus, famulis aliisque curam infectorum gerentibus, emolumento esse possunt. (§. 2.) Horum plura dispersim in diversorum fide dignorum loimographorum scriptis proponuntur, quorum nonnulla nostra jam aetate omnium ore celebrantur, cetera forte temporis successione nec minus celerabuntur. Haec omnia in tribus capitibus ita disponam, ut: primum ea, quae *vitae rationem* durante peste concernunt; secundum *remedia prophylactica externa*; tertium *remedia prophylactica interna*, exponat.

C a p u t I. Vitae ratio prophylactica.

§. 4.

Quemcunque officium publicum tempore pestis sese periculo infectionis exponere jubet, huic ea saltem solatia non deficiunt, quae ceteris simili in sorte non defuerunt. Is scilicet animo suo probe reputet: *Contagium, quod in corpore lue hac affecto evolvitur, solum ad inficiendum alterum minime suppeditare, sed simul requiri, ut corpus inficiendum dispositum sit;* neque enim unquam experientia teste, contagium sine dispositione corporis, nec corpus dispositum sine contagio, luem ullam protulit.

§. 5.

Dispositionis autem, (seu facultatis corporis percipiendi pestis orientalis contagii) varietates generales sequentes in loimographorum scriptis notantur:

- a) nonnulli vix infectionis discrimini expositi, a peste correpti sunt;
- b) aliis, nonnisi diu aut repetitis vicibus periculum hoc subeuntibus, eadem sors obvenit;
- c) alii demum, toto pestis decursu omnibus infectionis periculis semper obnoxii, a lue immunes bona valetudine usi sunt.

§. 6.

Ut autem observationibus his lux afferatur, statuendae et considerandae sunt *causae disponentes seu praeparantes ipsae*, haeque dispescendae in *generales seu epidemicas*, et in *speciales seu sporadicas*.

§. 7.

Ad causas disponentes generales — quibus exstantibus lues pestifera rapide et late evagatur, consiliis medico-politicis difficile compescitur et supprimitur; quibus absentibus vero lente et pauca domicilia perreptat, facileque opprimitur — referri merentur:

1) *insalubris aëris atmospherici conditio coelique gravitas*, quarum vi constitutio hominum sana in morbosam immutatur, et non raro immediate morbi indolis inflammatoriae, rheumaticae, biliosae, nervosae, putridae generantur; inde nonnullorum observatio explicanda: pestem, clam contagio irrepentem, subinde falsa specie anginae, pleuritidis, febris intermittentis, nervosae, putridae, dysenteriae etc. medicos induxisse;

2) *mox praegressa, aut adhuc urens annonae caritas ac fames*; inde natae medicorum relationes: infimam plebem, quam annona primo et maxime fatigat, pestilentia præ ceteris correptam et absumptam fuisse;

3) *calamitates, cohortibus militum aequa, ac incolis oppidanis et oicanis exitiabiles*, quarum comitatu Mars incedere solet; inde observatum est, pestem non raro aut belli sectatorem, aut successorem fuisse;

4) *communis terror et pavor*, qui plerumque subito nuntio accepto: pestem imminere, aut in civitate ipsa jam erupisse, incolas occupat; inde explicanda salutaris vis indulgentiarum, quas Pontifices Romani mediae aetatis ad placandos animos Christianorum promulgare amaverunt.

§. 8.

De causis disponentibus specialibus pestis seduli observatores praecipiunt:

1) *aegrotos, vel ad morbum quemcunque pronos, suscepto in corpus contagio pestifero, lue hac in primis implicari, solosque phthisicos, leucophlegmaticos et leprosos ab ea tutos esse*; inde nonnullorum medicorum opinio falsa orta est, ac si peste invalesceante ceteri morbi omnes sileant et cedant;

2) *eandem luem, praegressa contagii communicatione, frequentissime in feminas menstruantes, praegnantes, abortientes et parturientes, itemque in puerperas transire*;

3) *ipsa sana corpora facultatem impetrare, vim deleteriam contagii suscepti percipiendi et a peste tentari, neglecta valetudinis curandae ratione, in primis: abusu potulentorum spirituorum, et usu eorum, quibus sanguinis circulatio acceleratur, calorque organismi normalis augetur, nimirum: coitu, corporis motione modum excedente, usu balneorum*

tepidorum; praeterea abusu venaesectionum, emeticorum, purgantium, diaphoreticorum, imo et refrigeratione corporis, suppressione transpirationis ceterarumque adsuetarum excretionum. Hinc olim nonnulli medici loimici iis, qui a locis peste infectis vel suspectis appellebant, exploraturi, utrum libere dimittendi, aut ab aliorum societate sejungendi sint, remedium diaphoreticum calefaciens praebere solebant, cuius virtute aut contagium e corpore expellatur, aut vires illius acuantur;

4) *ab omni animi pathemate vehementi, in primis a timore, terrore, ira etc. facultatem organismi, vim contagii suscepti percipiendi, adeo propere eumque in modum intendi, ut non raro absque alio momento interposito prima pestis erumpentis symptomata appareant.*

§. 9.

Qui vero inficiendi discrimini saepe aut diu expositi, a lue tamen intacti inviolatique visi sunt (§. 5. c.) fuerunt:

1) curis vacui, et, uti existimare licet, casu felici vi ceterarum causarum disponentium non oblati, infantes lactei, quorum nonnulli mammis nutricum suarum peste infectarum, aut jam extinctarum adnoti, sugentes reperti sunt;

2) conjuges, parentes, filii, nati iisdem parentibus, consanguinei, sponsi, famuli singulari fide et animo in heros benignos et mites, qui omnes vel mutua charitate et pietate, vel memore in bene meritos animo, incensi, ceterum contra vim causarum disponentium muniti, suis peste decubentibus intrepide aderant, eosque non raro in nosocomia ipsa comitati sunt;

3) civitatum praefecti, sacrorum curatores, medici, publicae securitatis ministri aliique, qui amore patriae, pietate erga Deum, sensu recti et spiritu divino, animi et corporis vires mire incitante, moti, simulque modum, vim deleteriam causarum disponentium a se declinandi, probe intelligentes, sese in discrimen vitae, ut alios ex eodem extraherent, conferebant; demum

4) curatores aegrorum, purgatores rerum infectarum, sandapilarii, qui vel repente e penuria et egestatis miseriis erepti, vel spe ex mendico ad magnas opes procedendi nutriti, de aliorum aerumno lucro proprio consolati, simulque adversus vim causarum disponentium consuetudine indurati erant.

§. 10.

Hae medicorum loimicorum observationes, dispositio-
num varietates generales (§. 5.) concernentes, nobis exponunt:

a) in iis pestem, mox vel paullo post contagium exceptum, erumpere, quorum corpora, vi unius aut plurium causarum disponentium, apta facta sunt ad contagii stimulum percipiendum;

b) in iis, qui contagium pestiferum in corpus, nondum dispositum, exceperunt, morbum non patescere, nisi ante contagii per vias excretorias expulsionem, sese aut impetui causae cuiusdam disponentis, aut contagio jam expulso, novae infectioni exponant;

c) eosdem denique salvos atque incolumes conservari, quorum corpora a contagio, semel aut saepius suscepto, nunquam apta ad stimulum illius percipiendum, quorumque vires vitales semper expellendo contagio pares offenduntur.

§. 11.

Praemissis praecceptis magis generalibus jam *consilia medicorum loimicorum prophylactica specialia, vitae rationem concernentia*, expōnere, harumque utilitatem exemplis illustrare, argumenti ordo exposcit, ut eadem, in tanta rerum discrimine versantes in usum suum convertere possint.

§. 12.

A. Q. Rivinus inquit: Omnibus modis conservandae sunt vires, ac roborandi spiritus per lautiores cibos potumque suavem, vini praesertim; cuius modice sumti virtutes, monente *Willisio*, satis conspicuae sunt. Inprimis exhilarandus est animus. Quamdiu amoenitas hortorum atque ruris floret, inhabitanda aut saltem visitanda est saepius, nec unquam negligi debet conversatio amica, ac suave colloquium. Quemadmodum enim tristes omnia timent, ita nemo felicius terrorem eludit, quam qui hilarem alit mentem, et quamquam ex improviso terreatur, minus nocebit, alacrior scilicet spirituum motus ideam terrificam minus admittit, et si recepta fuerit, facile iterum eandem delet *). *Hier. Mercurialis* memorat: Memini legisse apud *Plutarchum* in libro de *Musica*, *Thaletam* quemdam Cretensem a Lacedaemoniis pestem fugasse sola musica; cuius *Thaletae* mentio etiam fit apud *Pausaniam*. Ego nihil aliud fecisse existimo musicam illam *Thaletae*, et eorum militum, qui apud *Homerum* cantu pestem fugabant, nisi spem, gaudium et laetitiam; quibus sit ut et animi et corpora valentius pugnant adversus morbum pestiferum **).

*) Dissert. de Lipsiensi Peste, pag. 82.

**) De peste, pag. 44.

§. 13.

Expertissimus pestis observator Chirurgus *Purmannus* profitetur: animum laetum, stabilem et firmum optimum prophylacticum, paeneque medicinam esse; luem terrore et timore viribus firmari; se ipsum quondam ea animi indole praeditum, ast a quibusdam malevolis, vitae suae insidias ponentibus, perterritum in pestem incidiisse *). *Kundmannus* refert: in peste Rosenbergi anni 1708 et *Böttiger* in peste Havniensi scyphum vini Hungarici, in primis meticulosis, praestantissimum tutamentum fuisse **).

§. 14.

Joan. Eropicch prudenter de intemperantia et ebrietate dehortatur. Quibus illa quotidiana commessandi consuetudo familiaris est, plerumque in hoc malum procliviores, ac curatu quoque difficiliores sunt. De *Socrate* referunt historiae, propterea, quod temperanter vixerit, semper incorrupta valetudine usum fuisse, etsi in multis gravibus pestilentiis, quae Athenis grassatae sunt, degeret. Talis enim, *Aristotele* et *Galeno* auctoribus, in puris corporibus constitutio est, ut raro afficiantur peste, vel quamvis ea affecta fuerint, tamen non pereant. Contra autem non paucorum exemplis constat, qui recenter peste correpti, cum vino se copiose implevisserint, in maximum discrimen, et praesentem mortem miserabiliter devenisse ***).

§. 15.

Dicta confirmant quoque pestis observatores Vindobonenses. *Paul. de Sorbait* allegat: Multi, sed perperam, sibi imaginabantur, praecipue Lazaretti ministri, tum praecipi, tum etiam vespillones, Ziehñedte sine dubio a trahendo seu furando sic dicti, quod, quo magis temulenti forent, eo minus periclitarentur; sed contrarium proh dolor experti sumus: tales enim turmatim exanimes cadebant, et libitinae consecrabantur ****). *Fr. Xav. Bensa* haec memoriae tradidit: *Dr. Vogelneck* curam inspectoris adventantium, et in domo pestoria reconvalescentium gerens, vigesima septima Maji percepit horrorem, quem aliquot vitris boni vini

*) Der aufrichtige Pestbarbier, pag. 87 — 88.

**) Historie von der erschrecklichen Menschenpestilenz, pag. 1210.

***) De officio fidelis et prudentis magistratus tempore pestilent. p. 62.

****) Consil. med. de Peste pag. 37 — 38.

corrigere nititur; noctu ipsum prehendit capitis dolor, anxietas praecordiorum, sitis, lingua arida et sicca, inquietudo, carbunculus in scrobiculo cordis valde inflammatus cum intollerabili ardore, et bubo parvus in inguine. Postridie vires jam prostratae, pulsus citatus ac debilis, anxietates maximaes erant; sequenti die in aurora supremum diem obiit, corpore post mortem petechiis nigris refertissimo *). *Jos. Waldhort ex F. F. Misericordiae per quatuordecim dies pestiferis magna charitate inserviens, cum ultima Julii audiendo Sacro interesset, eo vix finito ab inassueto moerore, subsequente mox frigore, tentatus, temploque recedens haec Pharmacopoeo conqueritur; qui eundem animans ad poculum aquae vitae invitat, quo frigus et moerorem dispellat: hoc vero vix assumpto illico totalis virium prostratio, dolor capitis gravatus, et sub axilla sinistra punctorius, nausea, et facies inflammata, paulloque post tota livida. Omnia remedia in cassum adhibita sunt. Bonus Religiosus tertia Augusti mane ante auroram animam Creatori reddidit **).*

§. 16.

Dantisci et in infectis locis Pomeranicis usus vini cremati, praeprimis acrioris, vulgo dicti antiloimici (*des Pestbranntweins*) tantos eventus deleterios edidisse fertur, ut publice interdicendum esset, ne divendatur aut potetur ***). In peste Brunsuicensi anni 1657, Chirurgus, quem Magistratus huic operi praefercerat, ut quoscunque aegrotantes visitaret, eosque quantum posset, juvaret, stygium istum liquorem, quem aquam vitae nominant, valde affectavit, eumque in magna quantitate, ad ebrietatem usque ingurgitavit, partim, ne vacuo ventre in publicum prodiret, partim ut animosior eo factus imperterritus obviam iret hosti quam maxime praesenti, quocum omni hora congredi officium suum ipsum compellebat. Ast lue affectus et mortuus est. Hoc tamen certum, inquit auctor hujus historiae: quibus consuetudo est, quotidie tales ardentes sumere spiritus, nihil aut parum nocuisse ****).

§. 17.

Imo ex usu acidularum Roitschensium temerario incommoda nata sunt. *Dr. Sergant* sua sponte se in obsequium

*) Historica relatio pestis, pag. 155—157.

**) Ibidem, pag. 190—193.

***) Kundmann l. c. pag. 1209.

****) Laur. Giselcri observ. de peste Brunsuic. Obs. CXIX. 1. Sept.

pestiferorum offerens, cum per duas hebdomadas omni diligentia serviisset, invaditur frigore, fit solito tristior, percipit capitis dolorem, tensionem in inguine sinistro cum tumore vix perceptibili, ceteraque pestis erumpentis signa sentit. Penes medicamenta, ipsi praescripta, acidulas Rottschenses bibit, a quibus bis vel ter alvus quotidie soluta. Frustra monitus, ut jam eo potu supersedeat, irridens respondit: se illius assuetum, easque sibi optime concedere. Cum itaque per quatuor dies easdem bibendo continuaret, singulis bis vel ter alvum deponeret, neque symptomata imo nec bubo augerentur, se periculum jam evasisse putabat. Sed quinta a morbo die diarrhoea exacerbata fuit, et sexies valde foetida dejecit; hora secunda pomeridiana fit inquietior, jamque delirat, petechiae nigrae circa maleolos apparent, sensimque per crura ascendentes, hora undecima latae, et copiosisimae totum corpus occupant, eaque nocte, vir vere praeclarus et seriori libitina dignus, fatis cessit *).

§. 18.

Quantum *motiones corporis*, ad miasma e corpore eliminandum, valeant, ex *Gustavi Oraei* observationibus elucescit. Quametsi, refert, Moscuæ, in Palatio imperiali, in plurimis ex comitatu amplio, signa haud aequivoca infectionis saepissime sese manifestarent, vis tamen contagii semper exercitio frequenti omnibus demandato ita frangebatur, ut raro ad remedia confugere opus esset. Nam quotidie, tam extra urbem, quam in vastissimo horto imperiali, deambulationes frequentes instituimus, vel si hoc per tempestatem non liceret, ludis variis e. g. *Billard*, *Volant* etc. corpora exercuimus, donec perspiratio sufficiens et lassitudo incipiens, de fine motionibus imponenda, moneret. Ipse, indicia infectionis saepissime persentiens, summum in eo praesidium locavi, ut omnes horas subsecivas in excursiones impenderem, herbasque et insecta per hortos, campos et montes vicinos colligens, oborto levi sudore, semper animo et corpore recreatus revertebar **).

§. 19.

Motum corporis etiam exercitibus tempore pestis praesidio esse, idem loimographus sequentibus observationibus confirmat: Circa finem mensis Maji 1770, dum pestis ad-

*) Fr. Xav. Bensa l. c. pag. 157 — 159.

**) Descriptio pestis pag. 82 et 83.

huc summo cum vigore fureret, reliquiae quinque legionum, quae hucusque Jassiae in praesidium locatae fuerant, ex mandato illustrissimi Polemarchi, versus exercitum magnum ducebantur. Narrarunt mihi postea Praefecti militum et Chirurgi, tamquam rem valde memorabilem, milites prima itineris die, ob insuetam et extraordinariam plane lassitudinem sese manifestantem, castra stativa pro nocturna quiete designata, nonnisi aegre attingere potuisse, sed sudoribus diffluentes, post breviores progressus, respiramenta intermedia efflagitasse. Lassitudo haec altero jam die minor, tertio vix observabilis fuit. Ex cohorte hac primo itineris die duo, et altero unicus tantum in nosocomium pestilentiale retromittebatur; postea nullum amplius vestigium infectionis adparuit, quamvis haud ita pridem ex eorum medio usque ad viginti quotidie introducti fuerint, et plus quam verosimile erat, eos permultas res infectas ex civitate summe pestifera et confusionis plena secum absportasse. Similima omnino ratione pestis, in cohortibus ex Wallachia tendentibus, nullis cautelis, quamdiu in loco restabant, extingueda, sed econtra quotidie latius serpens, castris emotis, miraculi instar disparuit.

§. 20.

Idem auctor pergit: Dum versus finem Novembris ejusdem anni victrices copiae, hybernandi causa, Moldaviam repeterent, et illustrissimus Polemarchus Jassiam, quamvis pestis in eadem adhuc sporadicē hinc inde prosiliret, pro hybernaculo proprio elegerit, evenit, ut brevi post adventum nostrum, contagium in manipulo praesertim uno, legionis pedestris *Korinsky*, celerrimos progressus faceret. Suasi, ut manipulus confestim educeretur, et per duas septimanas, stadia militibus consueta in regione circumjacente quotidie emetiretur; hocque tanto cum successu effectum fuit, ut milites omnes, nec unico desiderato, peste inter eos mox evanescente, post praescriptum temporis intervalum, sanissimi in hybernacula sua redirent *).

§. 21.

Attamen consilio, a mox laudato auctore dato **), quo administratores oeconomiae in pagis instruantur: »ut, quam primum signa infectionis in rusticis animadverterent, exer-

*) L. c. pag. 82 — 83.

**) L. c. pag. 83.

„citia corporis varia illico imperent, et si aegri morosiores nollent, vel debiliores vix possent, tunc a sanis per sufficiens temporis spatium circumduci, et mox, remediis sudoriferis in usum vocatis, ad sudandum componi curarent,“ nequaquam sine exceptione albus calculus adjicendus est; quum alii, experientia edocti, hanc agendi rationem non probent, auctorque noster ipse adnotet: Fuisse tamen nonnullos, in quibus sudores, etiam post motiones validas institutas, sive ex idiosyncrasia peculiari, vel ex aliis causis, vix ac ne vix quidem protrudebantur *). De diaphoreticorum autem usu tradunt Dr. *Hodlmannus* **) et Dr. *Kundmannus* ***) in peste Fraustadtensi in Polonia majori et Lissaviae multos homines sanos, qui vesperi, praeservationis causa, sudorifera hauserant, mane in lecto mortuos reperitos fuisse.

§. 22.

In primis autem loimographi uno ore fere omnes furente peste *de lavacrorum tepidorum usu* dehortantur. *Joan. Eoevich* inquit: Balnea publica multis de causis vitanda sunt, quae ejusmodi tempore tanquam praesens et lethifera mephitis sunt; quippe cum vaporoso illo aëre multi ac varii homines promiscue congregari soleant, quorum alii paullo ante isthoc morbo infecti fuerunt et nunc reliquias sudore evacuare student, alii medicamentis antidotisque diversis debilitati, suos singuli afferunt tetros et funestos halitus, quibus aërem illum conclusum implet, qui aër ab illis, qui praesto sunt, ut corporibus jam calore rarefactis, facillime tum ore ac naribus, tum poris cutis adapertis hauritur, et subinde ad cor vel cerebrum, vel jecur per arterias raptus, celerrime contagione potest inficere ****). Moscuæ peste anni 1770 balneorum publicorum usus ob damnum inde natum promptissimum repetitis vicibus interdictus est *****).

§. 23.

Noxam a balneis non solum ob affluxum hominum in publicis, sed etiam a privatis, evidentissimam ubique fuisse, exempla varia testantur. *Joan. Eoevich* in urbe Bremensi

*) L. c. pag. 84.

**) Ch. Gottwaldi memoria loimica pag. 41.

***) L. c. pag. 1209.

****) De officio fidel. et prud. magistratus pag. 63 — 64.

*****) Gust. Oraei descriptio pestis pag. 27 et 57.

observavit: fabro ferrario peste extinto eum, qui illius haeres erat artificii, relictæ spartæ nimium avidum, eheu una cum supellectili morbum imo et mortem domui suae intulisse. Nam cum inter reliqua vas esset ad balnei usum, more patriæ paratum, in hoc ipse cum quinque domesticis lavi, et prima nocte omnes lue pestilentiali infecti et encati sunt *). Jassiae tempore pestis, utut balnea incolae ament, experientia sat edocti, nemo illis uti audet. Moscuæ ex nosocomio pestilentiali Simeonense octo administrî in balneo vicino particulari lavabantur, immediate vero unus post alterum lue correpti, interierunt. Simile fâtum tres Chirurgiae tirones eidem nosocomio inservientes, experientabuntur, qui se securos credebant, quod loco aquæ acetum ad aspergendos lapides calefactos adhiberent, nam omnes victimæ mortis evaserunt.

§. 24.

Fabri ferrarii, qui ferrum candescens extinguendo, et soleis fere ignitis unguis equorum applicando, vapores multum inhalant, præ reliquis cladem acceperunt ingentem, ita ut assante Moscuæ peste, ob defectum eorum fere totalem, aliunde accersendi essent. Idem Moldaviae, Kioviae et aliis locis observatum fuit. De coquis res erat notissima, quod ubique inter primos desiderarentur. Praefecti militum, in regionibus infectis versantes, si non alios servos certe coquas perdiderunt. Praefectus quidam militum, dum in castris prope Jassiam locatis, igni assidet, ubi cibus militum coquebatur, et vapores ex aheno naribus excepit, eo ipso momento pestem gravissimam contraxit. Matrona quaedam Moscuensis, quæ alias magna utebatur circumspectione, nullaque prorsus indicia contagii in domo habuit, coëmpta materia quadam lanea (Flanell dicta), quæ ob sensationem unguinosam ei spurca videbatur, ancillæ ut excoquat tradit, haec vero, coctione vix peracta, peste corripitur, et post paucos dies obiit, infantemque dominae quoque infecit **).

§. 25.

Jam supra (§. 8.) memoratum est, mulieres praegnantes, abortientes, parturientes, itemque puerperas, pestis tempore ad infectionem admodum proclives esse. Hae mulierum affectiones *complexum venereorum eventus sunt*, a

*) L. c. pag. 94.

**) Gust. Oraeus l. c. pag. 57 — 58. Nr. 5.

quibus per se quod vim contagii in corpus suscepti augeant, abstinendum esse, tot pestis observatores admonent. *Laur. Gieselerus* inquit: *Νεογάμοις καὶ φιλολάγνοις infestissima est pestis*, ideoque pestilentि constitutione prudenter admodum a prudenti magistratu nuptiales festivitatis, imo et ipsae copulationes prohibentur, ne serpenti malo fores amplientur. Imo ipsa συνουσία matrimonialis debet esse rara admodum et pauca; immoderata Venus, si quid aliud, cerebrum et ventriculum debilitat, quorum tamen robur firmare omni ingenio adniti decet *). *Fr. Xav. Bensa* dicta exemplo confirmat. *Dr. Blasgrede* 23. Maji in peste Vindobonensi corripitur levi horrore, ad quem dispellendum sumit quasdam pillulas a suo parente similiter medicinam empirice profitente laboratas, et tali in casu pro arcano laudatas; purgatus aliquoties, altero die alleviatus sibi videbatur, moestus tamen permansit. Itaque ut moerorem excutiat, aliquot vini vitris animum exhilarare, et ad insequentem nuptialem solennitatem disponere allaborat. Vigesima quinta nuptias celebrat, mensae assidens inter pocula conqueritur de nausea, dolore capitis vertiginoso, inassueta lassitudine, inquinum tensione, siti. Tertia die mane pro thalamo tumulum subiit**).

§. 26.

Isaac. Joh. Wenzesl. Dobrzensky, quondam medicus Pragensis, eadem aetate cum eo viventibus praeservativum universale naturale separatim commendavit. Is supponit: Salivam deglutitam in cubiculo infirmi, aut in aura infecta, inficere ventriculum, postea sanguinem, et tandem sensim totum corpus (non mirum igitur accidere debere, illos, qui affecti sunt, communiter nauseam habere, et ad vomitum stimulari, etsi nec hilum evomere possint); optimam a morbi contagio praeservationem esse salivaee expuisionem tamdiu, quamdiu homo putat esse in aura tali, quae eum inficere potest (unde juvabit tamdiu expuere, nec deglutire salivam, quamdiu locum aliquem graveolentem contigerit transire, vel in eodem perseverare); inspirationes per nares non ita afficere posse, ut per os, cui tamen facilius provideri potest per convenientia balsama naribus illita, ut spiritus, nares transiens, eorum virtute alteretur et imbuatur; hoc praeservativum non deglutiendi salivam esse et fore optimum praeservativum pestis, et praecipue iis, qui cum pesti-

*) Observat. medicae de peste Brunsuicensi anni 1657 in praefat.

**) Historica relatio pestis pag. 151 — 154.

feris agendum habent, quales sunt **Medici**, **Chirurgi**, omnesque ii, qui taliter infectis adpropinquant, iisdemque ob amorem Dei et charitatem proximi inserviunt; potissimum autem **Confessariis** conduceat, qui eorundem excipiendis confessionibus sunt addicti *).

§. 27.

Consilium hoc plurimi illius aetatis medici assensione comprobaverunt, inter hos celeberrimus *Rich. Meadius*, qui tamen adjunxit, *ut caveant inspirare aegris nimis propinqui*; et si nimis difficile sit constanter haec vitare, *ut os acetato eluant naribusque spongiam eodem impraeognatam admoveant ***). Ast cum contagium pestiferum rarius per oris et narium aperturas, quam per cutis poros in corpus irrepere soleat, praeservativi universalis mutila conditio, ejusque ad arcendas tantum praesentis infecti exhalationes restricta utilitas sponte patet ***).

C a p u t II.

Remedia prophylactica externa.

§. 28.

Qua remedia prophylactica externe applicanda a medicis commendantur, a nonnullis vero impugnantur: *fumus ex herba Nicotiana accensa per fistulam haustus, rerum foetidarum odor, in primis hircinus, solutio salis culinaris ejusque vapores tepidi, oleum olivarum inficatum, ulcera artificalia et fonticuli, cauterisationes actuales*.

§. 29.

Ex medicis aetate superioribus usum fumi *Tabaci I. Joach. Becherus, Corn. Bontckoe, Thom. Sydenhamus, et praeprimis Isbr. Diemerbroeck* commendant. Posterior inquit: In hac (Novimagensi) peste, tam in me ipso, quam in plu-

*) *Theoph. Boneti Medicina septentrion. collatitia part. I. pag. 520 — 525.*

**) *Opera omnia. Edit. Goeting. Tom. II. pag. 94.*

***) *D. Ch. Tralles de insuffientia expusionis saliva pro obtinenda gloria praeservativi universalis.*

rimis aliis, insigniter profuisse observavimus *). Duo potissimum commoda in pestilenti constitutione attulit: 1) quod illi, qui Tabacum sumpserunt, ob adhaerentem continuo ejus odorem, vix ullos alias noxios foetores percipere possint, a quibus alioquin homines valde exterreri solent; 2) quod odor cum qualitate Tabaci ori inhaerens in transitu ita corrigat aërem inspiratum, ut interiora viscera nullo damno afficere queat. Haec confirmat experientia, quae in nostra aliisque pestibus satis docuit, plurimos solius Tabaci usu a maligna labie fuisse praeservatos; imo nonnullos pestem, quae jam invaserat, in ipso principio solius Tabaci usu fugasse.

§. 30.

Verum circa hujus fumi usum, quatuor notanda esse, idem celeberrimus Loimographus admonet 1.) quod non alio, quam optimo, Tabaco sit utendam, ex foliis satis maturis et minime putridis contortum; 2.) quod ille, qui nimis siccros habent pulmones, eundem ferre nequeant, cum eosdem magis exsiccat; 3.) quod Tabaco utentibus abstinentium sit ab aquis vitae et spiritu vini, nam haec simul non convenient, sed viscera debilitant, et in primis pulmones nimia siccitate laedunt; 4.) quod in usu hujus fumi unusquisque se ipsum noscere, atque modum quoque servare debeat; nam qui a Tabaco facilius afficiuntur, seu alterantur, eo parcior uti debent; qui non facile afficiuntur, iis liberalior ejusdem usus concedi potest, utrisque tamen mediocritatis limites excedere nefas esto. **).

§. 31.

Contra vero A. Q. Rivinus fatetur, se non semel fistulas antehac placitas repetiisse, ut in casu necessitatis sibi consuleret cum Diemerbroeckio; postquam vero observavisset, aliquot admiratores Tabaci inter fumandum infectos ac sublatos fuisse, tandem credidisse, Nicotianae usum forte Novimagensibus magis, quam Lipsiensibus, convenire, vel etiam insufficientem esse ad praeservandum corpus universum***). Ita et Nath. Hodges a Diemerbroeckio dissentit. Si, inquit, opiate Hyoscyami hujus occidentalis qualitas spectanda, sive ejus oleum trutinandum, una cum vapore, minore

*) Tract. de peste, fol. Lib. II. cap. X. pag. 107.

**) Ibidem pag. 111 — 112. IV.

***) De peste Lipsensi anni 1680 pag. 72.

licet quantitate haustum, summe veniscum, sive evacuatio salivae, ad varios a natura usus destinatae, bene perpensa fuerit, si porro motus violentioris pulmonum in suctione Gaeti exercitatorum, a crebra inspiratione debilitatorum, miasmatum pestiferorum simul cum dicto antidoto intus recipiendorum propensitatis, incommodi suffitus graveolentis ratio habenda est, incerta haeret; an proficua, an noxia Nicotiana? cuius vice vinum Hispanicum substituere solebat auctor *).

§. 32.

Ast *Gust. Oraeus*, controversiam hanc diremturus, adfert: In Moldavia omnes lautioris conditionis homines (nam plebs aequa ac in Russia, Tabaci fumo haud delectatur) fistulas continuo sugebant, et Moscuæ quoque, tempore pestis, mos hic apud honoratores multum invaluit, in utrisque vero locis, ex illis paucissimi solum, respectu magis egenorum, pestem contraxerunt. Medici et Chirurgi, qui medio hoc prophylactico utebantur, rarius omnino insultus pestis experiebantur, et facilis liberabantur, quam qui illud detestabantur; quod proprio meo exemplo confirmare possum. Inest nemque Tabaco praeter narcoticam et stimulantern, etiam vis manifesta ad transpirationem et sudores disponens, quam in aggressu pestis, ad miasma e corpore foras propulsandum, summe proficuum futuram, nemo facile negabit. Nec obstat, quod unus vel alter Tabaci amator occubuerit, dum tot aliae causae, infectionem et mortem inevitabiliter accelerantes, in hisce præevalere potuerunt. Assertioni quoque positivae *Diemerbroeckii*, Loimographorum certe gravissimi, et autoptae expertissimi, omnem fidem denegare, religioni habeo **).

§. 33.

Grassante peste in urbibus Lyon et Marseille observatum est, *loca urbis maxime habitata*, ubi plateae angustae et sordidiores erant, minus affecta fuisse morbo, quam alia, quae magis perflata erant et puriora. Dum *Carolo II.* regente Londini pestis grassabatur, Medici consuluerunt, ut omnia *stercorum receptacula*, quae exactissime clausa servari solent, aperirentur. Foetido hoc odore per totam urbem sparso cessabat pestis. An et ab hac causa rarer in Hispania pestis?

*) Λοιμολογία, pag. 234 — 235.

**) Descriptio pestis, pag. 159.

Regio haec fervida est, Africae aemula et contermina, ubi nullae latrinae sunt. Confirmant hoc satis itineraria, quae testantur, stercora humana in plateis projecta, siccari subito, et dissipari in auras non sine foetore advenis satis modesto donec assueverint longiori mora *).

§. 34.

A medicis saeculi XVII. *vapores musti fermentantis nitro-sulphurei*, et consequenter ad corrigendum aërem apti habebantur, idque exemplis confirmatum esse non dubitabant. Cum enim ad Mosellam saevissima pestis grassari coepisset, miraculi instar in prima herba suppressa fuit, quam primum musta fermentescerent. Pariter et hic Vienae tum durante tum finito vindemiarum tempore non tantum non ingravescere pestis, verum et evidenter decrescere animadversa est **). Verum enim vero haec omnia potius indoli pestis peculiari, qua absolutis tribus suis stadiis sponte decrescit, vel tempestate autumnali frigidae, quae in nostris regionibus vim morbi infringere solet, quam virtuti aëris acidocarbonici a *musti fermentatione* evoluti, adscribenda sunt.

§. 35.

Observatum etiam fuit, *loca aromatum promptuariis vicina* a peste intacta fuisse. Ita et constitit in peste Londinensi, immunes mansisse omnes homines, qui navibus construendis occupabantur, dum perpetuo versabantur *in aëre picis fragrantia imbuto* ***). Verum haec et alia non semper inducas malo tulerunt, aut id plane steterunt, ut inde deceamur, virus pestiferum non esse semper ejusdem indolis, sique antidotum aut felici casu aut humana industria inventiretur, illud nunc efficax, non item alia vice esse posse.

§. 36.

Ratione *odoris foedi* — combustionē cornuum et unguilarum bestiarum, calceorum tetricorum, coriorum antiquorum quondam grassante peste Halberstadtensi in vicis publicis excitati et transeuntibus adeo molesti, ut nares comprimere coacti essent — recte quidem jam saepius citatus *Purmannus* monet: eundem nequaquam a contagio tueri, na-

*) *Ant. Canestrini* pestis diagnos. pag. 59.

**) *P. de Sorbail* consil. med. de peste pag. 45—46.

***) *Ant. Canestrini* pest. Mag. pag. 60.

turae humanae adversum, viribus vitalibus infestum esse *). Nihilominus plures medici *odorem hircinum* hoc respectu laudant. *Isbr. Diemerbroeck* refert: Nonnulli ditiores Equitum Capitanei hircum, quem alioqui apud equos stabulo includunt, in coenaculis et cubiculis alebant, atque hujus foetorem ab experientia aëris pestilentis contagium impedire et extinguere afferebant **). Idem experimentum de hirco testatur *Mercurialis* referens: Et ego, cum annis praeteritis pro Caesaris *Maximiliani* valetudine Viennam ivissem, et quadam die apud Reverendissimum Hungariae Cancellarium pranderem, vidi in ejus aedibus servari magnum hircum. Hujus rei cum causam quaesivissem, mihi responsum est, id fieri pro peste; unde annotavi hoc remedium *Auenzoar etiam tempestate nostra alicubi adhiberi* ***). Simile de hirco etiam referunt *Jordanus* ****), *Paraeus* *****), *Lidelius* †). Illud ipsum quoque observasse videtur *Palmarius*; nam inquit: Sunt qui pro singulari praecautione in cubiculo, ubi cibum capiunt et cubant, hircum alunt, qui gravi suo halitu tetroque nidore de se perfuso omnia impletat, omnemque vim aëris malificam vel repellat, vel dissipet, atque extinguat, quorum minime rejicienda videtur opinio; nam adversus hoo contagium optimum creditur esse suffimentum; gravis enim etolidus vapor alium, qui foetidus est, diversi tamen generis, oppugnat et arcet quam longissime ††).

§. 57.

Nemo medicorum praeterea ignorat, lepra affectos odorem hircinum spargere, et recentiores hujus luis observatores testantur: pestem et lepram se invicem continuo avertere, ideoque nec unquam leprosum a peste correptum fuisse, et pestis tempore orientales in primis meticulosos commercium cum leprosis, propriae incolumitatis gratia, consulto consecutare solere, sperantes, malum reformidatum aliis vicinia, mutuo quasi atmosphaerarum conflictu excludi †††).

*) Aufrichtiger Pestbarbier pag. 25.

**) L. c. pag. 90.

***) De peste pag. 45.

****) De peste phaer. cap. IX. tract. III.

*****) Lib. 21. cap. 6.

†) De febrib. lib. 5. cap. 5.

††) De febrib. pest. lib. I. cap. 15.

†††) Schnurrer geographische Nosologie pag. 387.

Qua ratione virtutem odoris hircini prophylacticam omni attentione dignissimam et data occasione ulterius probandam esse censemus.

§. 38.

*Hippol. Quarinonius vapores, qui ex officinis salariis sursum feruntur, quam maxime commendat. Si, inquit, suffimenta contra pestem praestantia desideras, me, cui hoc loco (Halae ad Oenum) facultas est, imitare: mane et vespera aut quotiescumque occasio tulerit, officinam salariam nostram ingredere, prius vero ad os hypocrausti, ut calor per vestes et palliam meat, mox ad eum locum, ad quem ventus vaporem salarium spirat, accede; huic nudato capite, per medium horae quadrantem te oppone, ut tanquam nubes spissa te circumvolvat; dein tutus ab infectione discedes. Si vero tibi opportunitas hujus loci denegata sit, id agas: sume salsuram nostram, aut solutionem salis culinaris aquosam; hanc sensim lateri mundo et calefacto affunde, curaque ut vapor assurgens te ambiat, cubiculumque impleat. Ditiones solutioni huic aceti portionem admisceant, mixturamque praescripto modo adhibeant. Qui vero amictum tutum reddere cupit, spongiam maritimam in solutione hac, simplici aut composita, intingat, eademque vestes, manus, faciem, caput, capillos et barbam humectet *).*

§. 39.

Hanc agendi rationem omnibus aliis remediis palmam praeripere, non solum auctor noster judicat, sed etiam recentiores auctores confirmant, qui contagia *vaporibus acidomuriaticis simplicibus et oxygenatis* (Chloro) infirmari et destrui experti sunt; quos propterea ad purgandas domus, conclavia, supellectiles et merces infectas conferre hortantur **). Quibus nunc Aqua de Labarraque hunc in scopum praefertur, quare non dubito, et praecautionis loco ocyus aut serius adhibita efficax fore remedium.

§. 40.

Idem *Quarinonius* remedii ad praeservandos aegrorum curatores et vespillones auctor est; idque in eo versatur, ut *lodix densa et duplex solutione salis culinaris aquosa fervida*

*) Pestilenz Guardien pag. 110.

**) C. F. Harless über die Gefahr der Verbreitung des gelben Fiebers pag. 152.

*inficiatur, cadaver vero ea obvolutum mox feretro, prius eadem aquosa salis solutione fervida addito sulphure abluto, imponatur. Nec opus esse docet, ut lodix una cum cadavere sepeliatur: sed traducendo per flammarum repurgatam ad sepelienda alia cadavera adhibendam, — et hac ratione etiam amicula linea et manicas vespillonum ad usum praeparandas et postea purgandas esse *).*

§. 41.

*Vis prophylactica et medica olei ipsos antiquiores medicos minime latebat. Kundmannus memorat: Doct. Gerstenbergerum plus quam centenos homines oleo Juniperi, Succini et Absynthii probe instructos a peste immunes servatos vidisse **). Rovinus de oleo Scorpionum Matthioli compertrum habet: istud vi repellendi gaudere notabili. In omnibus quidem oleo hoc bubonibus inuncto deprehendit, dolorem cessasse et tumorem in dies imminutum fuisse; multis etiam hoc egregie profuit, qui quippe largiter simul sudabant: aliis nihilominus, in primis iis, qui bubone subalari laborabant, minus convenit, quibus scilicet cordis anxietas manifesto aucta est. Sunt et alii medici non pauci, qui pro summo contra pestem arcano id commendarunt ***). Notandum tamen ab iisdem oleum Scorpionum Matthioli non bubonibus aut carbunculis, sed regioni cordis et carpi manus (in qua scilicet pulsus tangitur) inunctum, hancque inunctionem, si necessitas urgebat, post tres horas repetitam fuisse. Per os quoque ad drachmam unam alteramve exhibitum, incredibilem in peste praestitisse effectum testis est Ant. Fumanellus; imo ab uncia ejus una, quam delirans infectus per errorem epotavit, tres simul bubones disruptos, eademque nocte deliria sedata, sublatumque periculum esse, idem adsfirmat auctor ****).*

§. 42.

*Plures medicos, qui *oleum olivarum externe infricatum* qua prophylacticum laudant, Paul. Scheel enumerat et inter hos Albr. ab Haller dicentem: Pestis tempore aegros visitaturus non melius sibi cavebit, quam si prius nudus ad for-*

**) Pestilenz Guardien pag. 111.*

***) L. c. pag. 1237.*

****) Vide prae ceteris Wolfgang. Gabelchoveri Cur. med. cent. V, cur. 98. in annot.*

*****) De peste Lipsiensi pag. 120 — 122.*

nacem se inunxerit, aërem spiraverit per spongiam aceto vini ebriam. In maximam autem famae celebritatem *usum olei olivarum externum*, qua medicamentum et prophylacticum, *Georg. Baldwinus* negotiorum curator et Consul generalis anglicus *Alexandriae* provexit, qui malis a peste concitatis ad misericordiam ductus remedio, quo horribili morbo pestilentiali obviam iret, operam navavit *).

§. 43.

Ut vero applicatio hujus remedii felici coronetur evenitu, requiritur, ut *inunctio* spongia marina oleo olivarum tepido ebria et celeri atque forti fricatione super totam corporis infecti superficiem perficiatur, quo facto oleum per pores cutis reseratos facilius penetrabit, et pestis contagium una cum mox insequente sudore profuso expellabitur. *Inunctio* haec eo die quo se pestis symptomata primo manifestant, semel, si vero sudor longus non inequivacatur, bis instituenda est, donec infectus sudore madeat. Hoc vero praesente aut nondum penitus et sponte disparente nec indusia, nec lecti stragula sudore madida mutanda, simulque portae et fenestrae cubiculi clausae servandae, carbonibusque vivis saccharum et baccae Juniperi inspergenda sunt, ut fumus excitatus sudorem eo citius et tutius maturaret **).

§. 44.

Auctores, qui *ulceribus oetustis et fonticulis* facultatem, una cum humoribus corruptis contagium e corpore infecto eliminandi, adscribunt, plures numerantur, quam qui omnem utilitatem iisdem derogant. Illi itaque auctoritatem nobis suppeditant, ut et haec in album prophylacticorum externorum referamus.

§. 45.

Inter priores *J. Crato* tempore pestis ulceribus apertis implicitos praemonet, ut sedulo curent, ne ea consanando claudantur, sed potius semper fluentia serventur ***). *Kundmannus* e scriptis *Felic. Plateri* sequens refert factum: Sacer-

Georg Baldwin's Bemerkungen über die Einreibungen des Olivenöhl's gegen die Pest. pag. 87 — 93.

**) Bemerkungen über die Einreibungen des Olivenöhl's pag. 57—60. und L. Gr. v. Berchtold Nachricht von dem zu Smyrna gebraucht u. s. w. Wien 1792.

***) Comment. de pestis curatione.

dos quidam fratres ejusdem ordinis, aliosque homines a peste munivit, scrota illorum transfigendo, et vulnus, loco setacei, radice Hellebori albi trajecto, apertum servando *). Ex quo praeservandi modo patet, quo jure in institutis antiloimicis Stiriae anni 1681 — ubi narratur: in feminae, peste Lipsiae extinctae, partibus iis, quas natura et honestas velare jubent, setaceum applicatum inventum, et ideo, nisi id opportuno tempore demandatum fuisset, contagionem crudelem pertimescendam fuisse — ratum et statutum sit: ut ejusmodi homines facinorosi forcipe candente vellicentur, eorumque membra rata frangantur **)).

§. 46.

Sennertus fonticulos ideo laudat, quia corpus ab impuritate praeservent ***). *Garnerus* sibi in peste anni 1616 fontanellos adplicari curavit, et iis nihil praestantius, nihil utilius aut melius in praeservanda, aut etiam curanda peste esse affirmat ****). *Jos. Fornes* allegat *Dr. Heinsium* germanum, qui Venetiis in dira peste annorum 1656 et 1657 fonticulorum ope innumeros, quibus nempe consilium arrisit, a lue praeservavit; statuam publicam tanquam Patriae liberator promeritus †). Magnae quoque utilitatis fuerunt in peste, Neomagensi teste *Diemberbroeckio* ‡‡), Lausannensi anno 1612 teste *Hildano* †††), Veneta anno 1574 teste *Mercurali* ††††). *Nath. Hodges* inquit: Per fonticulos quascunque impuritates una cum veneno subtili, liquorem frequenter comite, per apertas velut portas exire, communi omnium consensu sancitum habemus; quod scilicet contingere suspicatur, non quia partes sauciatae et ulceratae debilitentur, sed potissimum propter irritationem vasa evomere cogentem, humores reddentem fluxiles, et eos tanquam in sentinam allicientem, quo melius per commata, licet minutula evacuentur.

*) Historie von der erschrecklichen Menschenpest pag. 1228.

**) J. D. John's Lexikon der k. k. Medicinalgesetze Bd. II. pag. 434.
pag. 22.

***) De febrib. libr. IV. cap. 4.

****) Phil. Hoechstetter rar. observ. Medicin. pag. 26.

†) De peste pag. 126.

‡) Lib. 2. cap. 8.

††) Cent. 4. obs. 23. et cent. 6. obs. 86.

†††) De peste cap. 20.

§. 47.

Ulcera haec quo plura, eo res aegri securior, pergit idem auctor, quorum tamen amplitudo multorum vicem commode supplevit. Si vero cuipiam voluptet, duos gerere fontanellos, in brachio sinistro unus, et alter in crure aduerso aperiatur. Auctor ipse, quoties se in loca maxime contagiosa contulit, effluviis pestiferis non minus quam aëre ambiente conceptus, toties brachii pars, ubi situs fontanellus, pessume cruciabatur, effluente mox saxie cum dolore lacinante et pungitivo, quae ut plurimum tenuis, cruda et sanguinolenta; dato hoc invasionis pestentialis indicio ad medicamentorum alexipharmacorum asylum illico confugere tutissimum duxit *).

§. 48.

Scheuchzerus dicit: Ex causis, a celeberrimo *Astruc* alatis, consului mature per literas, et in monographia *Masiliensi* pag. 37. prophylactici eximii loco, fonticulos. Placent hi generatim medicis Germanis, et magni faciunt. Cur vero nolunt Galli tranare Lethi flumen sine fonticulis? Sunt illi adeo molesti? Minime, *mais ils ne sont pas à la mode.* Mos tyrannus ille inexorabilis innocentissimum, ac minime proficuum respicit remedium **). *Purmannus* in peste Halberstadensi eadem ratione fonticulis manitus, hos in praestantissimorum prophylacticorum numero ducit, imo et jam peste infectis utiles profitetur. Horum fonticulos autem, ob copiosam puris, cessante sudore, increscentis et foedentis excretionem, quater de die ligandos esse, monet Chirurgos. Ex pluribus, quam 50, qui Halberstadii fonticulis instructi erant, duos tantum mortuos, reliquos orci fauibus ereptos fuisse, memorat ***). *Gust. Oraeus* refert: Moscuae ex magno numero nobilium, medentium et aliorum, qui aperturas hasce sibi infligi curaverant, debito modo fluentes servarant, nemo, quantum mihi constat, desiderabatur exceptis nonnullis Chirurgiae tyronibus, in quibus ante ingressum in Nosocomium excitati quidem fuerant; sed immediate post balnei usum (§. 23.) correpti diem ibi obierunt supremum ****).

*) Λοιμολογία pag. 240.

**) In notis ad dissert. Dni. Astruc Not. 61. pag. 84. *Jos. Fornes* pars II. sect. II. cap. III. fol. 126.

***) Aufrichtiger Pestbarbier pag. 71.

****) Descriptio pestis pag. 139.

§. 49.

Qui omnium primus *cauteria tempore pestis applicanda* instituit, *Herculanus*, nominis celebritate et antiquitate non parum commendatur. Hoc tamen remedium ab arte veterinaria videtur esse depromptum. Nam *Columella*, ut pestem et contagium, quod boves aliquando solet infestare, averrat, aures illis jubet perforare cum radice, quae vocatur *Consiligo*, et inter *Hellebori species* collocatur (§. 45.); idque praestantissimi alexipharmacis locum putat obtinere. Quod hodiecum a pastoribus adhuc et armentariis usurpatur, *Tithymalis* pro *Consilagine* substitutis.

§. 50.

Non pauci praeterea reperiuntur medici, fide non minus digni, quibus id genus remedii, veluti *praecautione* quae-dam secura comprobatur. In quorum numero *Mercurialis* merito reponi potest, cum palam attestetur: in saeva qua-dam, quae *Venetias* olim afflixit, lue plurimos cauteriorum beneficio ab omni noxa plane fuisse vindicatos. Novi medi-cum, inquit *Ath. Kircherus*, qui, dum *Nosodochio* in pe-stiferorum curam deputaretur, quinque sibi prius cauteriis inustis, aliisque *praeservativis* instructus, juncta imperter-riti pectoris magnanimitate inter medios morientium coetus integrum incolumemque semper constitisse *). *Parisinus* et *Ingrassias* idem observasse profitentur in pestibus, quas ipsi suo tempore exortas fuisse docent; a quibus nec *Nicolaus Massa* nec *Palmarius* dissentunt, cum tantopere hujus gene-ris remedia extollant atque commendent **). *Paul. de Sorbait* refert: Cauteria tempore infectionis tantae sunt utilitatis, ut consentientibus unanimiter omnibus *Loimographis*, nihil uti-lius in toto orbe reperias, ut et medici Romani dum ad cu-ram infectorum in *Nosodochiis* sese exponebant, aliquot cau-teria sibi inuri curabant: non raro etiam si forte virulentam inspirassent auram, cauteria atram exsudare saniem in reliquo citra ullum sanitatis dispendium permanentes, animad-verterunt ***).

§. 51.

Nihil melius est tempore pestis, quam cauteria excitare *Dunc. Liddelius* adfirmat et quidem ex ea ratione, quia horum vi humores ab interioribus ad exteriora trahuntur, et pravi ichores corporis, qui in corruptionem pronissimi sunt, con-

*) Scrutinium pestis, pag. 315.

**) Vide *Jos. Quercetani pestis Alex.*, pag. 271.

***) Consilium medicum, pag. 62.

tinuo ductu evacuantur *). *Gravius* monet: Si quibus jam antea impressa fuerint, loca aperta consolidari non sinant, et in aliis cauteria fieri utile est. Ea quidem malignos humores atque vapores a corde aliisque nobilioribus partibus ad ignobiliora membra avertere possunt **). *Pet. Forestus*: cauteria cruribus vel brachiis adhibeantur, ut malae superfluitates quotidie per ea expurgentur; et fuerunt ita praeservati, qui cadavera mortuorum ferebant ***).

§. 52.

Quercetanus fusius de cauteriis tractans docet: Cacochymica corpora tempore grassantis pestis praecautionis loco, melius ac commodius utentur cauteriis potentialibus, inter certos brachiorum ac surarum musculos applicatis. Idque eo magis, si jam antea illorum usui fuerint assueti; siquidem per ea, tanquam per canales quasdam non solum maxima corruptorum humorum copia foras excluditur; verum etiam spiritus in corpore nostro contenti fuliginosae ac venenatae materiae a centro ad circumferentiam, beneficio virtutis naturalis, artis industria adjutae, extrinsesus expelluntur.

§. 53.

Quod *tempus* attinet, quo cauteria applicanda, nequam eosque illorum differenda est inustio, quo usque pestis incrementa et vires acceperit. Tunc enim Chirurgo magnopere timendum esset: ne maligna oriatur inflammatio, quod in tali casu plerumque accidere, multi per celebres contestant medici. Melius ergo consultum erit, incipiente et perniciosos suos fructus gerinante peste eadem applicare.

§. 54.

Quoad *partem*, cui adhibenda sunt cauteria, non eadem est auctorum opinio et judicium. *Nicolaus Massa* et *Palmarius* eadem suris applicari volunt; sic enim humores deorsum evacuari, et majorem revulsionem causari putant. Alii vero brachiis potius imponenda arbitrantur propterea, quod tunc cordi sint vicinia, cui quum semper cum pestilentia pugnandum esset, magis inservire debent, neque ipsa humoribus alias derivandis melius conducunt illorum judicio. Attamen, cum talia remedia ad vitam conservandam sint introducta, non est, quod ullus vereatur, cauteria suris atque lacertis, imo et aliis corporis partibus adhibere ****).

*) In libr. de febrib. cap. 5. *Hoechstetterus* l. c. pag. 26.

**) In disputatione de peste thes. 67. *Hoechstetterus* l. c.

***) Observ. medic. libr. 6 obs. 15. *Hoechstetterus* l. c.

****) Pestis Alexicacns pag. 269 — 273.

Caput III.

Remedia prophylactica interna.

§. 55.

Nullum in rerum natura inveniri tutum certumque contra pestis infectionem remedium prophylacticum, jam supra (§. 1.) monitum est. Et revera nil magis defectum remedii, in tali casu spem nostram nullo pacto fallentis, testari vallet, quam consignatio ingens temporum tractu venditorum antidotorum ipsa; quorum singulorum aut theoriae medicae amore aut lucri studio summe laudatorum, inefficacia, mox detecta, semper alios impellebat, ut nova excogitarent. Sunt vero plerumque conflata ex calefacientibus, diaphoreticis, purgantibus aut substantiis vi medica plane destitutis, quae itaque potius viribus nocentibus ad pestem disponentibus, quam prophylacticis instructa esse censeruntur.

§. 56.

Inter remedia simplicia *allium* et *cepa* in primis plebis fidem sibi conciliaverunt; ideo jam a *Galeno* alium rusticum theriaca adpellatur, et contra morsum canis rabidi, serpentum et aliorum venenosorum animalium prodesse docetur. De iisdem autem controversia est, an in peste convenient? Verum haec controversia, inquit *Dan. Sennertus*, componi potest, si dicamus, cepas et allium utilia esse non ut alimentum, sed ut medicamentum. Ut enim certum est, non satis bonum praestare nutrimentum: ita et illud extra dubium, contra venena plurimum valere, ac proinde allium, ut et cepa, non magna copia sumendum, ut cibi loco esse possit; sic enim pravos et acres humores in corpore cumularet; sed si parva quantitate, ut saltem medicamenti loco sit, et ad pestem praecavendam sufficiat. Nec absurdum est, ut aliquid ratione medicamenti utilissimum sit, pravum vero alimentum praebeat, sicut in cibis medicamentosis multis videre est *).

§. 57.

Purmannus refert: vespillones in peste Halberstadtensi frequenter allium comedisse et salvos mansisse **). *J. B. Werloschnig*: nuces cum allio tritas et comedas a nonnullis

*) De febrib. libr. IV. cap. VII. pag. 868 — 869.

**) Aufrichtiger Pestbarbier pag. 95.

Loimographis multum laudari commendarique , praesertim pauperibus *); et *Ant. Canestrini*: Mirabar , quomodo vespillones non inficerentur. Allium eos forte semper in tuto collocavit. Quoties enim infectam domum intrabant , solebant praevie allium tusum manibus , pectori et faciei affri- care , et in ore masticatum retinere , quo postea et ego prae- servationis gratia usus sum **).

§. 58.

Inter plures alios Loimographos , qui cepas assatas externe ad maturandos bubones inflammatos commendant , *Hippolytus Quarinonius* harum etiam internum usum magnopere laudat. Simul ac , inquit , te languore sentis , cepam versus radicem excava , cavitatemque Theriaco Andromachi Veneto , prius cum succo citri aut aceto acri contrito , reple , operculo obtura , cepamque filo subtili ligatam cineribus ardentibus subassa , succum expressum hauri , dein ad sudorem te compone ***). *Justus Jonas* (Theologiae Doctor et Professor Wittenbergensis) , quum adhuc puer esset , per imprudentiam cepam assatam quam pater peste decumbens bubonibus impositam jamque exsiccatam amoverat , sine valedudinis incommodo comedit ****). Ast *Dr. Griebel* , qui se *Cojentschinum* in districtu Wartengersi , spartam medici loi- mici suspecturus , contulerat , in dormitorio suo sexcentas cepas suspendit , cepasque secum circumgestavit , nihilominus una cum famulo peste correptus et mortuus est †).

§. 59.

Pro remedio prophylactico haud sernendo insuper *omnia* habentur *acida* , in primis vero *acetum vini vulgare* , de quo *Franc. de Leboe Sylvius* hisce testatur: Ante novennium , cum quotidie plures visitarem aegros peste infectos , prae- cautionis loco aliud non sumpsi medicamentum , quam vul- garis aceti vini cochlear unum , mica panis exceptum , et quidem mane antequam inviserem aegros ††).

*) Λοιμογραφία pag. 229.

**) Pestis diagnosis pag. 15.

***) Pestilenz Guardien pag. 146.

****) *Hofmanni* causae natural. ex quibus pestis oritur et repellitur. *Kundmann* , pag. 1145.

†) *Kundmann* , l. c. pag. 1204.

††) *Prax. med. append. tract. 2. de peste* pag. 489 m. fol. 652. *J. B. Werloschnig* l. c. pag. 228.

§. 60.

Ab eo tempore acetum vini, ejusque variae compositiones, in primis antisepticum (vulgo *vinaigre de quatre voileurs*) sub titulo prophylactici consuetim adducebatur. Nihilominus Dr. Didier medicus Gallicus objicit: Si acetum vini a peste muniret, lues haec Marsiliae tantam haud effecisset devastationem, ubi incolae fere omnes in plateis publicis cum spongia, uno altero ve hujus generis praeservativo famoso madefacta, naribus admota offendebantur. Quisque eodem manus lavabat, in quovis domicilio patina aceto repleta ad epistolas pecuniamque abluendas, in procinctu erat. Urbs Telo-Martius (*Toulon*) praeprimis aceto commercium facientibus praedonibus maritimis, copiam aceti vini praestantissimi subministrat, ast tota copia comestus urbi contra pestem praesidio esse non potuit. Dr. Ludesi Marsiliae aceti studio ita ardebat, ut non solum ante et post ulcerum peste decumbentium deligationem aceto sese lavaret, sed etiam muccinio eodem madefacto faciem attereret, et non raro noctis tempore caput mappa, aceto imbuta obtegeret; nihilominus a peste tanta vehementia corripiebatur, ut diem obiret supremum *). Patet tamen Marsilienses et praeprimis medicum Ludesi non solum modum a *de Leboe Sylvio* prae scriptum excessisse, sed etiam aceto (uti et Dr. Griebel supra (§. 58.) memoratum cepis) perverse usos fuisse.

§. 61.

Gust. Oraeus de se ipso narrat: Praeter regimen vitae scrupulose observatum, quamdiu cum pestiferis cohabitavi *roborantibus quoque et diaphoreticis lenioribus*, etiam sine indicis infectionis factae, scopo praeservativo utebar, et reli quis mecum decentibus cum successu impertii. Praesertim *spiritus nitri dulcis*, a guttis viginti ad triginta, ex aqua frigida aliquoties de die sumtus, se tantopere commendavit, ut an aliud in hoc statu magis utile detur remedium, dubitaverim. Nam correctio fastidii, appetitus, si laesus fuerit, rediens, augmentum virium tam mentis quam corporis, et lenis diaphoresis, de salutari ejus efficacia sat luculenter testabantur **).

§. 62.

Demum et *Camphorae* inter remedia prophylactica interna mentio facienda est. Norimbergae quidam capite luere

*) Chigoneau pars II. pag. 317 — 318.

**) Descriptio pestis, pag. 158.

promisit, ni Camphorae oleum interne adhibitum unumquemque a peste praeservaret *). Joh. Dan. Gohlius refert: memorato Dr. Heinsio (§. 46.) ob Camphorae commendatum usum salutarem contra pestem, etiam Veronae statuam, hujus rei memoriam posterioribus servantem, constitutam fuisse **). Crato pestis tempore sibi adnectere camphoram jubet; et Dr. Ettmüllerus censet: sub his rerum adjunctis hominem sine Camphora, militi sine gladio aequiparandum esse.

*) Wisnerus de malo pestifero thes. XXXV.

**) Historia pestis pag. 45.

Auctores in consilium vocati:

Ant. Fumanelli liber de pestis curatione. Venetiis 1548.

Nicol. Massa liber de febre pestilentiali, petechiis et morbillis etc. Venetiis 1540 et 1556. 4.

Thom. Jordani pestis phaenomena seu de iis, quae circa febrem pestilentem adparent, exercitatio. Francofurti 1576. 8.

Joan. Eovich de officio fidelis et prudentis magistratus tempore pestilentiae Rempublicam a contagio praeservandi liberandique libri duo. Neapoli Nemetum 1582. 8. min.

Jos. Quercetani pestis alexicacus, sive luis pestiferae fuga. Parisiis 1608. 8.

Georg. Garneri liber de peste, quae grassata est Venetiis anno 1576 etc. Ex quo opere majori desumpta est ejusdem Epitome s. Brachylogia Loimedes. Bruntr. 1610. 8.

Hippol. Quarinonius Pestilenz Guardien, für allerley Stands-Personen, mit Säuberung der inficierten Häuser, Beth, Leingewandt, Kleider. Ingolstadt 1612. 12.

Ambr. Paraeus, in operum libro XXI. argumentum de peste tractat. Edit. Francof. 1612. fol.

Dan. Sennertus de febribus libri IV. Wittebergae 1619. 8.
(Lib. IV. de peste, pestilentibusque ac malignis febribus.)

D. Hieron. Mercurialis tractatus varii de re medica, a variis medicis olim ex ipsius ore excepti, nunc vero, post ejus obitum, in gratiam studiosorum Medicinae evulgati. Tract. III. de peste, praesertim de Veneta, et Patavina. Lugduni 1623. 4.

Duncan. Liddel (Scotus) de peste. Neomagi 1624.

Wolfg. Gabelchoveri Curationum et observationum medicinalium Centuria V. Tubingae 1627. 8.

Athan. Kircheri scrutinium physico-medicum Pestis cum praefatione Chr. Langii. Lipsiae 1659. 12.

Laur. Gieseleri Observationes medicae de peste Brunsuensi anni 1657. Brunsuigae 1663. 4.

Jul. Palmarii de morbis contagiosis libri septem. Hagae-Comitis 1664. 8.

Phil. Hoechstetteri rariorum observationum medicinalium pars postuma. Francof. 1671. 8.

Nath. Hodges Λοιμολογία, sive pestis nuper apud populum Londinensem grassantis narratio historica. Londini 1672. 8.

Paul. de Sorbait consilium medicum, seu dialogus loimicus, de peste Viennensi 1679. Viennae, 12.

Aug. Quir. Rovini (alias Bachmann) dissertatio de peste Lipsiensi 1680. Lipsiae 1681. 8.

Isaac. Joh. Wenzesl. Dobrzensky Praeservativum universale, sive de saliva contra omnem in aëre serpentem contagionem praeservativo optimo. (Vide Theoph. Boneti medica septentrionalis collatitia Tom. I. pag. 320.) Genevae 1684. fol.

Isbr. de Diemberbroeck Tractatus de peste Neomagensi 1685.

Joan. Christ. Gottwald Memoriale loimicum de Peste Dantiscana auni 1709. Dantisci 1710.

Joan. Bapt. Werloschnig a Gerenberg et Ant. Loigk Loimologia seu historia pestis, quae ab anno 1708 ad 1713 Transylvaniam, Hungariam, Austriam etc. depopulabatur. Styriae 1710. 8.

Dr. Joh. Christ. Kundmann Historie von der erschrecklichen Menschen-Pestilenz wie sie von Anfang dieses Seculi bis auf das Jahr 1715 auf's heftigste gewütet. (Vide ejusdem Rariora Naturae et Artis item in Re medica.) Breslau und Leipzig 1757. fol. 1084 — 1248.

Franc. Xav. Bensa historica relatio pestis anni hujus saeculi XII, XIII et XIV. Austriam et conterminas partes infestantis. Viennae Austriae 1717. 8. min.

Jos. Fornes tractatus de peste Barcinonae 1725. fol.

Matth. Gottf. Purmann der aufrichtige und erfahrene Pestbarbierer. Aus selbstigner Erfahrung mitgetheilt. Breslau 1745. 8.

Rich. Mead Opera omnia. Tom. I. et II. Edit. 3. Goettingae 1748. 8.

Von der Pest, ihren Ursachen, Zufällen, Behandlung und Sicherungsmitteln. Aus dem Franzöf. von Dr. J. Ch. Ringebroig Thl. I. Leipzig und Stendal 1783. Thl. II. Stendal 1790. 8.

Gust. Oraei descriptio pestis, quae anno 1770 in Asia, et 1771 in Moscua grassata est. Petropoli 1784. 4.

Ant. Canestrini pestis diagnosis maxime ex ejus contagio haurienda. Salisburgi 1795. 8.

Adam Chenot's hinterlassene Schriften über die ärztlichen und politischen Anstalten bey der Pestseuche. Wien 1798. 8.

Georg Baldwin's Bemerkungen über die von ihm entdeckte specifische Wirkung der Einreibungen des Olivenöls gegen die Pest. Aus dem Italienischen von Paul Scheel. Kopenhagen 1801. 8.

Chr. Friedr. Harleß über die Gefahr der Ausbreitung des gelben Fiebers in Europa, und über die kräftigsten und zuverlässigsten Schutzmittel dagegen. Nürnberg und Sulzbach 1804. 8.

Friedr. Schnurrer geographische Nosologie oder die Lehre von den Veränderungen der Krankheiten in den verschiedenen Gegenden der Erde. Stuttgart 1813. 8.

Theses defendendae.

1.

Humorum circulus in plantis anceps.

2.

Motus muscularis ad omnem sensum externum per quam necessarius.

3.

Vitae et organismi humani cognitio basim constituit medicinae.

4.

Modus Prochloridum Hydrargyri (Calomel) per praecipitationem parandi, illi per sublimationem adhucdum postponendus.

5.

Transfusione sanguinis et infusione medicaminum in venas medicina aegris paratur admodum dubia.

6.

Scrophulosis congenita plerumque, nec raro gentilitia labes diu ut plurimum in corpore delitescit, prius quam tumoribus glandularum et aliis pathematibus in propatulo se sistit.

7.

Phthisis pulmonalis causa proxima unice in tuberculis haud quaerenda.

8.

Hirudinum medicinalium applicatio dato casu praestantissimum remedium;

9.

Proinde nequaquam e medicaminum albo delenda.

10.

Sub certis conditionibus contagium pestiferum votatile
reddi potest.

11.

Prophylaxis politica minante peste momentosissima.

12.

Praeservativum contra pestem omnino possibile.

13.

De Arsenici praesentia data intoxicatione sola reductio-
ne convincimur.

14.

Nevroses chronicae sensibilitate et irritabilitate aucta in-
cedentes balneis curandae marinis.

